Misc. 139

EX LIBRIS JACOBJ MANZONI



Agrippa

1. Agrippa Camillo Milanese. Trattato di trasportar la Guglia in su la Piazza di S. Pietro. Roma p. Zanetti 1583. in 4.

2. Catesinius - Ordo dedicationis obelisci. Romae - Grassi 1586 - 4.

3. Pigafetta Filippo - Discorso intorno all' Aguglia. Roma Grassi 1586 - 4.

4. Damiliani epistola circa translationem obelisci - ibid. 1586 - 4.

5. Blanci Guilielmi. Epigrammata in Obeliscum. etc. cum libello de ratione anagrammatismi ad lectorem. Romae p. Dianis 1586 in 4.° pre

6. — detto. Carmen Eucharisticum. Secunda editio. Romae p. Grassij. 1587. in 4.° pre.

Schudt. 1111
1122
1123
1115

24

ORDO
DEDICATIONIS
OBELISCI

Quem

S. D. N. SIXTVS V. PONT. MAX.

IN FORO VATICANO,

Ad limina Apoſtolorum erexit.

Et benedictionis item Crucis

Quam

In eius faſtigio collocauit v. kal. Octob. feria ſexta.
Anno M. D. XXCVI.

Adiuncta eſt initio breuis quaſi hiſtoria, ordine contexta: qua præclarum obeliſci Crucisq. erectæ opus, ſempiterna memoria dignum,

P. GALESINIVS, PROTON. APOSTOLICVS

EXPLICAT DILVCIDE.



ROMÆ, Ex Typographia Bartholomæi Graſſij. 1586.


SVPERIORVM PERMISSV.

CAMILLI CAIETANI,

ROMANI CARMEN.

IN DEDICATIONE OBELISCI.

HAec, quæ erecta vides, immanis pondera ſaxi
Victricis præfert quod monumenta Crucis,
Aegypto auexit Romana potentia quondam,
Cæſaribusq. ſuis grande ſacrauit opus.
Non ferro, aut flammæ, non æuo ceſſit edaci,
Sternere Barbaricæ nec potuere manus.
Scilicet vt tandem meliori aſſurgeret vſu
Magnanimi ſtratum Principis imperio.
Auſpicijs ſic Sixte tuis Ægyptus, Arabsque
Inuictæ flectat ſaxea corda cruci.



Gulielmi Blanci Iun. Albiesis I. C. Hexaſtiam in Obeliscum

Ænea ſerpentis Moſes ſimulachra ſacerdos
Extulit, ægrotis ut medicina foret:
Nunc alter Moses Obeliſci in uertice Sixtus
Erigit ægrotis ænea ſigna Crucis.
Vos, ò Romani, ſuſtollite ad æthera vultus,
À Cruce nam uobis uestra petenda ſalus.

N. B. ſ. F.

D. CONSALI PONCE DE LEON, HISPALENSIS.

SANCTISSIMAE CRVCI VOTVM.

HAec tibi ſancta arbor, generis qua victima noſtri
Luſtrauit populi crimina cuncta ſui,
Maximus ille hominum ſacrat Pater, optimus ille
SIXTVS, cui Domini credita cura gregis:
Scilicet æterni ſint hæc monumenta triumphi,
Hæc ſurgat titulis gloria digna tuis.
Vos gelidi cineres, mutæq. iacebitis vmbræ,
Atque eritis ſacræ clara trophæa CRVCIS.

ALIVD CHRISTO.

ILle tui pecoris cuſtos tibi CHRISTE parentat,
Hisq. litat priſci temporis exuuijs.
Aſpice: victa cadunt æui ſimulacra profani,
Antiqua impietas, vana ſuperſtitio.
Tu, SIXTI, Pater alme pijs pius annue votis,
Et da magnanimo ſæcula multa ſeni.
Namque tuæ pereunt gentes, tua Solyma ſeruit:
Imperio hæc triſti barbarus hoſtis habet;
Vindice ſed SIXTO rurſum iungentur ouili,
Et tunc ille tibi munera digna feret.
Conſtituet ſacri ſupremo in vertice montis,
Quo tua mors Patri victima grata fuit,
Aram: atque aræ cœleſtes ſuperaddet honores,
Hoc carmen voti ſcribet et ille memor:

Aſſertis CHRISTO *populis, Oriente ſubacto,*
Et quidquid Libycæ continet ora plagæ.
Erexit SIXTVS *victor victricia ſigna,*
Queis moriens mortem hìc vicerat ante Deus.

ALIVD

In dedicatione Obeliſci

Immanem hanc molem, conuexo hæc æmula cœlo
Pondera, ab Aerÿ littore miſſa ſoli,
Sacrarat Phœbo quondam longæua vetuſtas,
Poſt, eadem cineres ſuſtinuere leues;
Nunc tibi ſancte Pater, noſtri ſpes vnica, SIXTVS
Dedicat, atque vnà ſeque, ſuumque gregem:
Tu facilis puram non dedignabere mentem,
Suſcipe, et æternùm ſtent tua dona, iube.

DYSTICHVM.

Victrices cineres, æternæ nomina famæ,
Occiſo, et ſpreto cedite nunc Domino.

REVE-

REVERENDISS. EPISCOPO NOVARIENSI
CAESARI SPETIANO
APVD REGEM CATHOLICVM
NVNTIO APOSTOLICO

P. GALESINIVS PROTON. APOSTOLICVS.
S. D.

BREVEM quaſi hiſtoriam ſcripſi operis, quod ſumma omnium gratulatione S. D. N. SIXTVS QVINTVS, *Pontifex maximus, nuper confecit. In foro quidem Vaticano, ad limina Apoſtolorum, Obeliſcus ille, et litteris, et ſermonibus multorum celeberrimus, iam demum præclare cernitur: in eoq. ſummo Crucis erectæ ſignũ mirifice eluceſcit. Hìc optimi Pontificis cùm in re ſuſcipienda conſilium ſingulare, ac perpetuam conſtantiam omnes dilaudant: tum vero diuinam in ea ipſa conficienda virtutem admirantur maxime. Quam plane rem vel ex verſibus facile intelligas licet, quos ſcriptioni huic adiungendos cenſui. Romæ enim nemo ferè homo eſt, aut Italus, aut Gallus, aut certe Hiſpanus, in poeticis verſatus, quin carmina ſcribat, quibus laudem mirifici operis celebret. Tantus eſt, tamq. incredibilis omnium penè gentium in illius laudatione conſenſus, ſummaq. conſpiratio. Næ id profecto faciũt iure ſane optimo. Dei enim gloriæ, populi Chriſtiani pietati, atque vrbis, vel potius rei catholicæ omnis ornamento conſultum eſt tam admirando opere confecto: quod ſapientiſſimo cuique ſemper proba*

tum

tum, et à bonis perpetuo expetitum, ab omnibusq. iamdiu auidiſsime expectatum, nemo erat, quin diffideret poſſe vnquam confici vlla vel ſumma ingenij, opumq. contentione. Vix dici poteſt, non modo cum primum e ſede priore obeliſcus euulſus, quod factu difficillimum putabatur, ſed deinde cum ad locum, quem Pontifex decreuerat, aſportatus, in medio foro erectus eſt, quàm plena fuerint omnia gaudij inſatiabilis: parietes prope ipſi quadam hilaritate geſtire videbantur. At poſtremo cum rite, ſacra prece, ſolemniq. cæremonia ex eccleſiæ inſtituto is expiatus, ſanctiſsimæ Crucis inſigne in faſtigio habuit: tum ita omnium animi lætitiæ voluptate affecti ſunt, vt ego ſane nō lacrymulam, ſed lacrymas multas, bonorū præſertim, præ gaudio profuſas, viderim. Quamobrem et cæremoniæ illius ſacræ, quàm Pontifex ad ſolemnem eam actionē adhiberi voluit, et totius operis, nō incohati ſolum, ſed abſoluti perfectiq. narrationem, ſi minus ornate, ſplendideq. excultam, at aliquo modo dilucide explicatā, tibi mitto. Quod vt plane facerē, cum mea vetus, perpetuaq. erga te obſeruantia, beneficiorum in me tuorum cumulis aucta, in primis poſtulat: tum vero deſiderium flagitare videtur, quo miro teneris rerum vrbanarum, earumq. potiſsimum, quas tam ſapienter, tantaq. eccleſiæ vtilitate, ac ſalutari emolumento gerit, atque agit, ab omni laude felix, ſempiternaq. gloria digniſsimus, Pontifex Sixtus Quintus: cui à Deo optimo, maximo, eſt cur continenter totoq. animo id omnes precemur, vt rei Chriſtianæ publicæ illum conſeruet diutiſsime. Vale, Romæ, Idib. Oct. M.DXXCVI.

OBE-

OBELISCI VATICANI ET SANCT.MÆ CRVCIS ERECTÆ HISTORIA.

RES omnis, quæ magna eſt, quæq. pietatis plena myſterijs, ad perpetuam gloriam inſignis videtur, non modo cunctorum hominum amorem conciliare, verum ſapientum etiam virorum mentes, atque animos excitare ſolet ad exquiſitum quoddam illius recte laudandę ſtudium. Eamq. ob rem plerique omnes, qui his temporibus ingenio valent, ex obeliſci opere, non ingenti ſolum, ſed pio in primis, quod admirabili ſapientia Sixtus Quintus, Pontifex ſummus, idemq. ſanctiſſimus, inchoauit, ac nuper diuina virtute perfecit, immortali lætitia optimo iure cumulati, vel libentiſſime neruos induſtriæ ſuæ eò intendunt, vt veris ſolidisq. laudibus illud plane exornent. Iam verò ſunt enim, qui ornatiſſimis, atque optimis verſibus de eo ſcripſerunt: neque ſane deſunt, qui hiſtoriam contexuere valde luculentam: alij, cum plurimum dicendo poſſint, magnum illi campum ingreſſi, in quo exultare poſſit oratio, omnes propè locos de re præſtantiſſima adhibuerunt ad ornate ſplendideq. dicendum. Nemo denique eſt, ne rudis quidem, vel plane barbarus, qui operis tam egregij laudi non faueat omnino. Si qui tamen ſunt, qui contra ſentiant, ij certe perpauci ſunt, et illi ſane ab egregijs inſtitutis auerſi, parum vident rerum magnitudinem, quæ gloriæ Dei ſeruiunt, atque vſui eſſe

poſſunt ad eccleſiæ amplitudinem. At iſti porrò, ſi rei huiuſce ſplendorem aliquando non aſpexerint, profectò demum quàm perſpicue ipſi fallantur, ex aliorum libris, latine luculenter ſcriptis, intelligent, qui, ad ſempiternam memoriam impreſſi, breui emittentur. Ego vero interea tàm admirandi operis, quod à Pontificia virtute, pietateq. totum dimanare animaduerto, quodq. non vrbi Romæ tantum, quæ religionem catholicam perpetuò aluit, ſed orbi vniuerſo Chriſtiano ad pie agendi officia vtile in omnes partes eſſe ſentio, magnitudine adductus, facere non potui, quin de eo aliquid hoc potiſſimum tempore ſcriberem. Eſt enim hominis, non ſolum à natura bene informati, ſed otio ac ſtudijs minime abutentis, res, quarum exempla alijs vel publice, vel priuatim deinceps profutura ſunt, litteris ad poſteritatem prodere. A quo ſcribendi genere quamquam multa valde me deterrere potuerant, illudq. præter cetera maxime, quòd nullum ingenij acumen, nulla dicendi lumina, nullas orationis opes in me eſſe video: nihilominus tamen vicit boni publici cauſa, pro qua emori poſſum. Nec vero quiſquam putet, hanc à me ſcriptionem eſſe eo conſilio ſuſceptam, vt longe lateq. velim digredi ad laudes Pontificis, et Sixti Quinti Pontificis: cuius gloria non apud Chriſtianos modò populos, verum etiam apud externas vel diſiunctiſſimas nationes eſt infinitis prope acceſſionibus amplificata. Iam probè cognitum eſt, quanta is ſollicitudine, et quàm ſumma vigilantia, Chriſti eccleſiæ proſpiciat, atque conſulat: perſpectum eſt etiam, quàm ſingulari ſapientia in omni genere excellat: notum præterea eſt præſtans eius ingenium, cœleſti do-

ſti do-

ſti doctrina excultum: nota eſt ſanctiſſima illius pietas, nota caſtiſſima religio. Non ignotus denique ipſius eſt animus, inuicto robore diuinoq. præſidio communitus cùm ad omnia præclarè ſuſcipienda, egregieq. agenda, tum ad pericula propulſanda, quæ tanta, atque adeo grauia vndique intenta ſunt rebus Chriſtianis. Eſt igitur illud mihi nunc ſane propoſitum, non pluribus exponere ſpectatas illas tanti Pontificis virtutes, et clariſſimis operibus illuſtres: ſed rem tantum breui commemorare, quæ ad obeliſcum Vaticanum erigendum, ſanctiſſimæq. crucis ſignum in eo ſuſtollendum pertinens, Dei conſilio ab eo perfecta, atque abſoluta putatur. A domino equidem factum eſt hoc, et admirabile in oculis noſtris. Ab vltimis enim vſque temporibus, quibus tanti lapidis moles extructa eſt, ad hanc noſtram ætatem diuinitus reſeruatur, vt in eo ipſo, tamquam in munitiſſima arce, à ſapientiſſimo religioſiſſimoq. Pontifice Sixto Quinto crux ſacroſancta, perpetuum religionis Chriſtianæ trophæum, in foro Vaticano ad limina Apoſtolorum erigatur maxima omnium gentium, nationumq. admiratione. Næ hæc quidem res plena eſt myſterijs, cumulataq. rationibus, optima quæque ſignificantibus. Sed operæpretium iam eſt, altius id omne repetere, vt narratio recte, ordineq. contexta, non ſolum declaret, ſignificetq. mirifici huius obeliſci antiquitatem, et conſeruationem perennem: ſed plane demonſtret, ac quaſi ob oculos ponat, rei, quam Pontifex ſuſcepit, atque perfecit, et ſuſcipiendæ, et perficiendæ cauſas, perfectæq. demum ſalutares vtilitates, cum ornamento vrbis coniunctas. Iam vero Ægypti olim reges, opibus potentiaq. floren-

tes, obeliſcis ſubſtruendis magnum auri pondus, magnamq. gazæ regiæ vim conſumpſerunt, atque ingentem hominum multitudinem adhibuerunt, nimirum cum eſſent moles, vel potius turres, vno tantum ſolidoq. lapide confectæ, in ſummum acumen ductæ: quibus, ſi quæ mortalium manu induſtriaq. conficiuntur, ſpectamus, toto terrarum orbe nihil admirabilius oculis cernitur. Nam cum eorum opus magnitudine propè immenſum ſit, erigendiq. labore difficile atque arduum: tum pretio vix æſtimabile, immo ſola vectura, animo ſolum æſtimata, incredibilem quandam admirabilitatem gignit. Atque in ijs quidem mirandis Ægypti obeliſcis vnus præter ceteros Romæ in Vaticano eſt, quem, vt annalium omnium monimenta docent, Seſoſtridis, Regis maximi filius, Pheronius, ab omni regia laude felix, egregie confecit, Soliq. de more dicauit. Cuius ſanè operis tempus ſi recte ſciteq. ſupputatur: antiquitatis profecto ratione nullæ fortaſſe, aut certe paucæ cuiuſuis generis extructiones, ne in orbe quidem, ne dum in vrbe vetuſtiores apparent. Nam longe ante belli Troiani tempora, multisq. ante Romam conditam ſeclis factum eſſe, aperte indicant et græcæ, et latinæ annorum notationes. Verum longo poſt interuallo Seſoſtrius hic obeliſcus, Caij Caligulæ Imperatoris iuſſo, ad vrbem nauigio miræ magnitudinis vectus, in circo Vaticano collocatus, Cæſari Auguſto, Tiberioq. dicatur, vt ex inſcriptione ab vtroque latere perſpicuum fit. Hic animaduertere primum lubet, quàm longe ceteris obeliſcus hic noſter præſtet, quippe cum et quo tempore Ægypti regnum, multis partibus auctum, maxime floruit,

tunc

tunc præſertim factus ſit, à regeq. factus omnium maximo, et Soli conſecratus, aſtrorum ſyderumq. principi: et demum Romam aſportatus, in circo Vaticano magnitudine ampliſſimo, celebritateq. refertiſſimo collocetur: et, quod ad eius laudem permulti intereſt, Cæſaribus dedicetur Auguſto, ac Tiberio: qui duo ex reipublicæ Romanæ Imperatoribus præcellunt multarum rerum nomine: quæ ſi nullæ plane eſſent, hæc vna potiſſimum ad illa tempora illuſtranda maxime valet, quòd Auguſto Cæſare Chriſtus Ieſus, cui aram is primum dicarat, natus eſt: Tiberioq. deinceps Imperatore mortem pro humani generis ſalute pertulit. Si quis autem hæc accurate in primis, rectaq. reputabit via, cum facile intelliget excellentem, quam propoſuimus, obeliſci huius pręſtantiam, tum perſpiciet coniectura etiam eiuſdem vſum: qui auguſtiſſimus demum futurus ex ijs omnibus, tanquam indicijs, denunciari quodam modo videbatur. Nec vero illud ſine aliqua ſignificatione eſt, quòd non is, vt ceteri obeliſci, notis hieroglyphicis, veluti certis ægyptiacarum ſuperſtitionum ſignis, inquinatus olim fuit: nam ab ijs ipſis plane integer quaſi denotabat locum deinceps relinqui purum ſanctiſſimo titulo, quem denique tot poſt ſæculorum ætatibus cruci ſacroſanctæ Sixtus Quintus Pontifex, ſapientiſſime religioſiſſimeq. inſcripſit. Fauſtum igitur opus, atque adeo, ſi felicitas in eo eſſe poteſt, ab omni parte felix apparet. Si enim vetuſtatem illius ſpectas, nihil ferè orbe terrarum antiquius: ſi temporis, quo factum eſt, rationem habes, certe regni Ægyptij florentiſſimum: ſi auctorem eius architectumq. conſideras, rex eſt maximus: ſi conſecrationem, Soli ſyderum duci et

mode-

moderatori: ſi aſportationem, Romam, omnium nationum dominam, Imperijq. Romani arcem: ſi collocationem, in circo Vaticano nobiliſſimo: ſi dedicationem, iterum, ſummis Imperatoribus: ſi vero tandem conſeruationem, profecto perpetuam animaduerti licet, eamq. non ſine diuino conſilio. Nam quotuſquiſque eſt, qui in tanta temporum varietate, ab vltimis illis vſque ducta ætatibus, quæ pene innumeræ ſunt, non aſpiciat vrbium vel munitiſſimarum euerſiones, et proſtrata oppidorum firmiſſimorum quaſi cadauera, et cuncta denique propè opera, quæ florentiſſima olim fuerant, perculſa, diruta, atque extincta? Quàm ampliſſimæ olim non in Ægypto ſolum, ſed in omni regno, ac prouincia ſubſtructiones arcium, aliorumq. ædificiorum, hodie nullæ? quàm vbique gentium multa, quæ omnibus munitionibus ſepta, ad perpetuitatem duratura videbantur, hoc tempore nuſquam extant? quid? quod munitiſſimæ cuiuſque rei, cui nulla ætas finem allatura videbatur, ne veſtigium quidem minimum eſt? quàm pleraque omnia maximarum rerum monimenta, quæ ad ſempiternam memoriam fixa putabantur, iam nunc conciderunt? hæc eſt plane vetuſtatis vis, vt quicquid eſt opere, aut manu factum, id aliquando conficiat, atque conſumat: quodq. in caſu poſitum eſt, ſæpenumero derepente, etiam ad punctum temporis, labatur. Sed res eſt in promptu, neque opus habet, cur pluribus demonſtretur, cum præſertim ipſæ vrbis parietinæ, quæ oculis omnium aſpiciuntur, id ipſum magna commiſeratione oſtendant. Crebris namq. hoſtium incurſionibus Roma afflictiſſimo quoque tempore miſere vexata, ac direpta, multis ſuis partibus præ ſe

fert

fert imaginem diſturbatæ, atque exciſæ cuiuſdam ciuitatis. Quid gentes immanitate barbaræ, nomini populoq. Romano infeſtæ, et inimicæ, quæ longiſſimo ætatum interuallo multæ ac variæ extiterunt, non modo teterrimis bellis, ſed inſidijs machinatæ non ſunt? quid non attigerunt, quid non egerunt, vt eam flamma, ferro, omniq. hoſtili impetu penitus delerent? Eſt certe quidem vrbs hæc æterna cœleſti diuinoq. præſidio defenſa, eamq. ob rem incolumis euaſit: at in tantis tamen offenſionibus damna, et detrimenta fecit ædificiorum grauiſſima, quæ multa etiam, id quod inficiari nemo poteſt, importauit vetuſtas. Nec vero in his vrbis ruinis, neque adeo in illo Ægyptij regni interitu, quem aliquando annalium litteræ commemorant, neque alio denique caſu obeliſcus hic vnquam concidit: qui præterea ne ex tanta quidem innumerabilium ſæculorum longinquitate, cuius ad rerum perniciem vis magna eſt, nihil plane accepit offenſionis. Mirum profecto eſt, reliqua multa vrbis ornamenta hoſtium iniuria, aut temporum calamitatibus diruta eſſe, præſertimq. ceteros obeliſcos, quos Romam aſportatos eſſe, probe omnes norunt, iamdiu fractos, ac proſtratos iacere: hunc vero, ab omni detrimento incolumem, integrumq. ſtetiſſe perpetuo. Id ſane nemo quiſquam eſt, niſi mentis, vel pietatis expers, quin fateatur prouidentia conſilioq. Dei optimi, maximi factum eſſe: qui præclarum obeliſcum in tantis tamq. varijs publicis ærumnis, ac tot poſt ſeculis, pontificatui Sixti Quinti reſeruauit ad perennem crucis ſanctiſſimæ erectionem. Non poſſum hoc loco, cum replico temporum memoriam, mirari non ſatis, qua ratione Conſtantinus, rerum

geſta-

geſtarum, atque pietatis nomine vere magnus, qui diuino monitu accepit, ſe crucis ſigno eſſe hoſtium potiturum, de huius obeliſci opere non ſtatuerit, in quo ſummo, illud ob partam victoriam, gratiq. et pij animi monimentum publice in perpetuum ſuſtolleret, cum ad eam rem, in conſpectu omnium, palamq. ponendam nihil tum in vrbe aptius, neque ad perenne tempus firmius eſſe fortaſſe potuiſſet. Sed eſt quoque, cur id etiam atque etiam admirationem excitet, quòd is, cum baſilicam auguſtiſſimam, cui proxima erat hæc eximij obeliſci moles, in Vaticano magnis operibus exædificaret, neque vllam illius rationem habuit, cuius vſus, in aliquas ſane partes vtilis, non modò adiumentum, ſed ornamentum afferebat clariſſimum. Et vero ipſum referri itidem poteſt ad prouidentiam Dei, qui hæc tempora reſpexit. At denique tam multi ſancti Pontifices, omni gloria præcellentes, Silueſter, Marcus, Damaſus, Symmachus, Leo primus, Gregorius Magnus, Adrianus primus, Leo quartus, Bonifacius item quartus, et alij ferè plerique omnes, quos enumerando percenſere longum eſſet, vt impuræ idolorum ſuperſtitionis, cuius olim vinculis Roma deuincta tenebatur, memoriam delerent, cum hanc vrbem ſacris templis, baſilicis, eccleſijs, atque ceteris pietatis monimentis tantopere ornarint, forte ob eam cauſam etiam quis adhuc miratur, quamobrem ij et thermas, et theatra, et reliquas gentilium ſubſtructiones, et moles ad chriſtianæ religionis vſum conuerterunt, et ne cogitationem quidem, nedum conſilium ſuſceperunt de obeliſco Vaticano, qui beati Petri, Apoſtolorum principis, baſilicam ipſam proxime attingens, aliquid quaſi admonere

nere videbatur, quod pie deliberatum, ad eccleſiæ ſplendorem redundaret. Verum hoc etiam cum à Pontificibus maximis, tanto annorum ſpatio, haud quaquam factum ſit: non video, quare non id quoque effectum putetur conſilio Dei: qui huius operis cauſam integram, atque molitionem, egregiam illam quidem, ac ſempiterna gloria digniſſimam, ad hæc vſque tempora ſeruauit pietati, ſapientiæq. optimi Pontificis, et ad omne præclarum opus eruditiſſimi, Sixti Quinti. Is vbi primum diuino munere donoq. ad eccleſiæ gubernacula vocatus eſt, non vlla ſane populari opinione, aut laude ductus, ſed ſingulari quadam religioſi animi ſui incitatione, cùm ad cetera omnia in primis curæ pontificiæ munera aſſidue attentus, nihil vnquam neque laboris, nec vigilantiæ prætermiſit: tum verò obeliſci Vaticani opus, quod cum dignitatis, ſollicitudinisq. ſuæ rationibus conuenire cenſuit, maximo conatu aggreſſus, nunquam ſane quieuit, niſi re tòta perfecta. Hoc autem non poſſum inficiari, Nicolaum Quintum, et Paulos duos, vnum Secundum, alterum Tertium, Pontifices Maximos aliquam de hac ipſa re non certam tamen deliberandi rationem, ſed collocutionem tantum, quæ fortaſſe caſu incidit, aliquando iniſſe: nam conatos eſſe, haud ſane affirmarim. Spiſſum ſane opus, arduum, et operoſum putabatur: ideòq. cum confici nullis etiam immenſis ſumptibus exiſtimaretur, ſola maximæ difficultatis cogitatione ij deterriti, aut certe morte erepti, nihil in eo genere vnquam neque attentarunt, nec vero quicquam egerunt. Deus igitur, qui cuncta moderatur, atque gubernat rem de-

mum à Sixto Quinto et ſuſcipi, et confici voluit. Multa ſane primùm ab huiuſce obeliſci opere pontificem deducere poterant: nam vt infinitas illas impenſas, ſummis etiam rei difficultatibus implicitas, mittam, quibus deterreri fortaſſe potuiſſet, præſertim in grauiſſima tum ærarij publici penuria, cum pontificatum inijt: erant etiam non modo architectorum, ſed aliorum ſapientum, et rerum agendarum vſu peritorum hominum diuerſæ, ac plane inter ſe pertinaci contentione diſſidentes de re conficienda opiniones, quæ afferebant ancipitem deliberationis curam. Alij enim libris, quos emiſerant, alij colloquiorum concertationibus de re tota varie diſſerebant. Neque deerant etiam primarij viri, qui pontifici, vt ne tale opus, ingraueſcente tunc annona, ſuſciperetur, maxime auctores erant. At is, vt diuina benignitate eſt ad ſumma omnia natus, et æſtimator rerum longe acerrimus, fortiter, conſtantiſſime, ac ſapienter admodum, religioſiſſimeq. tanti operis perfectionem decreuit, nullis difficultatibus affectus, neque ſumptuum immenſitate deterritus, neque à ſuo conſilio aliorum abductus opinionibus. Nec vero in ea rei frumentariæ inopia defuit muneri pontificiæ vereq. paternæ charitatis, quam neceſſario tempore inſtar ſanctiſſimi Pontificis, Gregorij Magni, ſingulari prudentia prouidentiaq. præſtiſtit. Nam cum ad ſubleuandam annonæ charitatem vndique frumenti copiam pontificali ærario importandam impenſe curauit; tum opus tam ſumptuoſum parauit, in quo pauperes, quiq. egeſtate laborabant, operas ponerent, vnde quotidianum ſibi victum ho-

neſte

neſte quæritarent. In ea igitur fixa animi deliberatione pontifex totus ita inhærebat, vt ab ea nequaquam dimoueri optimo iure poſſet, cum multas, eaſq. iuſtiſſimas, cauſas haberet, quamobrtem id à ſe fieri oportere intelligeret. Primo enim illud non ferendum cenſuit, vt obeliſci opus, vere ſolidum falſi cultus ſimulacrum, olim impura, atque execranda ægyptiorum ſuperſtitione inquinatum, demumq. Imperatoribus Romanis ritu impio dicatum, ob oculos et in conſpectu omnium fidelium diutius verſaretur, eo præſertim loco, nempe ſacro ac religioſo, prope in ipſo ſanctiſſimæ baſilicæ beati Petri, Apoſtolorum principis, ſacrario, à funeſtiſſimo fidei hoſte ibi ad perpetuitatem collocatum, vnde multis ante ætatibus ex pietatis chriſtianæ inſtituto, vſuq. fuit conuellendum funditus. Hoc enim Dei gloria depoſcebat in primis, requirebat cultus, beatiſſimo Petro debitus, qui locum præclaro martyrio ſuo conſecrauit: tot martyrum ſanguis, in circo Vaticano profuſus, expetebat: baſilica ipſa, plena ſanctorum corporibus, et reliquijs, poſtulabat: immo baſilicæ parietes re magis, quàm voce flagitabant, quippe qui violari quodam modo videbantur propinquitate molis, quandam priſcæ impietatis imaginem præ ſe ferentis. Hoc denique cum rei Chriſtianæ ratio omnis ſuaderet, nemo vnquam fuit cuiuſuis ordinis, vel loci homo pius, quin hoc aliquando expectaret vehementer. Iure igitur de illius aſportatione, et religioſa dedicatione Sixtus Quintus Pontifex ſtatuit: qui diuino ſpiritu afflatus, ea conſtituta deliberatione rebus etiam alijs conſultum eſſe vidit: quæ cum maximæ ſint, atque

ad pictatem plurimi interſint, ne illæ quidem etiam ſunt cauſæ, ac rationes præſtantiſſimi conſilij, quod eo de genere conſtantiſſime cepit. Obeliſco enim in forum Vaticanum ad limina Apoſtolorum tranſlato, dicatoq. ſanctiſſimæ cruci, quæ, tamquam perpetuum religionis Chriſtianæ monumentum, in eius ſumma parte collocatum, vndique ſplendeſcit: vix dici poteſt, quàm recte in poſterum prouiſum ſit, cum ſalutares inde vtilitates, Deo bene iuuante, futuræ ſint vberrimæ. Eſt eo facto aditus deinceps in perpetuum præcluſus prophanis ludis, et ſpectaculis: quibus eius fori ſitum, piarum pontificaliumq. actionum nomine celeberrimum, et martyrum etiam ſanguine aſperſum, aliquando violatum eſſe norunt plane omnes. Publicæ huic offenſioni, ex cuius recordatione Pontifex intimo dolore afficitur, occurrere quidem ſtatuit, propoſita erectaq. in medio foro cruce, quæ à malefacto exterreat fideles, illo ſigno excitatos ad recolendam paſſionem Chriſti Redemptoris. Pari rurſus ratione diſciplinam veræ ſapientiæ, quæ in Chriſti Domini cruce continetur, excitare is voluit, accendereq. ardorem pietatis omnium. Eſt maximus ad baſilicam ſancti Petri concurſus non ciuium ſolum Romanorum, ſed peregrinorum, non modo ab Italia, verum ex omni prouincia, quæ chriſtiano nomine cenſetur, confluentium. Quam etiam ob cauſam e re chriſtiana publica eſſe conſtituit, in illius baſilicæ foro tam frequenti, vbi olim, maximis illis concitatis perſecutionum tempeſtatibus, crucis ardore incenſa innumerabilis multitudo virorum, mulierum, virginum, puerorum.

rorum, etiam infantium, ſæpenumero cruciamenta neglexit, et ſanguinem inflammatis animis profudit, obeliſcum Vaticanum ſacrare, in quo ſummo crucem ſuſtolleret: vt quicumque eò conuenirent, quales quales ſint, omnes eo loco præclara recordatione incitati, ſe ſe ad ipſius crucis ſtudium inflamment, indeq. ardentiſſime illas diuinæ ſapientiæ opes hauriant, vt voluptates aſpernentur, dolores contemnant, vitæ lenocinia, blandimentaq. abhorreant, pro vitæ delitijs incommoda conſtituant, libidinem reprimant, audaciam profligent, inſolentiam fugiant: patientiæ, benignitatis, manſuetudinis, obedientiæ, pietatis, omniumq. virtutum amore ſe accendant. Næ hæc quidem diſciplina eſt crucis, quæ iucunda bonis, et ſalutaris omnibus, at ſempiternis hoſtibus horribilis, et pertimeſcenda. Habent ergo cuncti, quid inde, tamquam ex optima chriſtianæ ſapientiæ ſchola, percipiant et Reges, et Principes, et eccleſiæ antiſtites, et magiſtratus, et priuati, et omnis denique multitudo. In quam ſententiam quadrat, quod doctori angelico Thomæ aliquando ſanctus Bonauentura ſcite pieq. dixit, ſe ex ipſo crucis fonte omnem haurite ſcientiam. Verum præter ceteras, quæ commemoratæ ſunt, cauſas, hæc etiam accedit, quam Pontifex optime omnium nouit, quòd conſentaneum ſcilicet fuit, tam excellenti præſtantiq. opere forum Vaticanum, tamquam ſanctiſſimæ illius baſilicæ veſtibulum, exornari: idq. cum ab alia, quæ mox ante expoſui, tum quia eo loco ad limina Apoſtolorum non tantum Pontifices conſecrantur, ſolemnemq. benedictionem ſtatis tempo-

ribus

ribus adhibent: ſed Imperatores, Regesq. ab ijs ipſis excipiuntur, et maxima quæque aguntur, quæ palam ac publice de more rituq. agi oportet. Quibus in publicis actis crucem opere ſumme egregio conſtitutam, è conſpectu poſitam habere, quàm religioſum ſit, cum omniq. pietatis officio conueniens, nemo eſt, quin facile intelligat. Sed quæret adhuc quis, quare eam Pontifex obeliſco præfixit? id quoque ſtudioſe, nec ſine myſterij ſignificatione effecit, qua ad pietatem quoque fideles incenderet. Nam cum obeliſcus, vt præ ſe fert, ſit ingenti magnitudine lapis, qui ab imo vſque ad ſummum rectis lineis inſtar acus, aut potius exigui veru in cuſpidem terminetur, cui crux præfigitur: hoc certe admonet, vnum porrò eſſe chriſtiano homini neceſſarium, vt cogitationes, conſilia, actionesq. recta ad Chriſtum, cruci affixum, referat: eumq. tamquam ſcopum habeat, quò omnem vitæ curſum dirigat. Hæc tota ratio breuis quidem eſt, ſed multa ſummatim docet, cum ſacris litteris conuenientia, quæ, ne rem longiorem faciam, ſilentio prætereo. Itaque iuſtiſſimis cauſis, atque adeo vtilitatibus ſalutaribus, quas ſibi propoſuerat, adductus Pontifex crucem exaltauit, vt pſalmi verbis vtar, in petra, nimirum in arce, chriſtianæ confeſſionis bene munita, ſignum ſuſtulit clariſſimum, quo palam faceret, fideles cum inimicis Crucis Chriſti, Iudæis, Ethnicis, hæreticis, ceterisq. à nomine chriſtiano auerſis, nihil habere commune, ſed contra eos publice libereq. profiteri, quem colunt, Ieſum Dominum, et hunc Crucifixum. Iam præterea, is velut Iacob, erexit lapidem in titulum. Et

vero

vero, vt ille per quietem ſcalam ingentis magnitudinis vidit, cuius cacumen cœlos tangeret, aſcendentesq. et deſcendentes per eam Dei angelos: rem certe vidit plenam myſteriorum: ſic ſanctiſſimus Pontifex Sixtus Quintus, dum de obeliſco ſacrando, cruceq. in eo erigenda aliquando cogitat, aliquid tacitis mentis ſuæ cogitationibus fortaſſe diuinitùs præuidit, quod in eo opere vſui futurum eſſet gloriæ Dei, propagationiq. fidei. Ego vero ſpe in dies erectiori fio, aliquando fore, vt gentes, multitudine innumerabiles, à fide alienæ, Romam ad limina Apoſtolorum confugiant, vbi hoc ipſo crucis, nuper erectæ, loco, repudiatis falſis dijs, exploſaq. omni impura ſuperſtitione, cultui chriſtianæ religionis caſtiſſimo adhæreant: id quod diuina præſenſione Brigitha ſanctiſſima tandem futurum prædixit. His atque alijs ſanctioribus cauſis, quæ illius animum impellebant, et ſingulari quadam vereq. pontificia ſuæ mentis religione incitatus ipſe Pontifex, tunc facile diſſuadentium conſilium fregit, atque ſummas illas difficultates ſuperauit, quas alij alias in medium afferre ſtuduerunt. At vero denique, vt ad rei perficiendæ modum veniam, iam Pontifex diu Dominici Fontanæ architecti ſpectatam fidem, exploratamq. in alijs ædificationibus induſtriam habuerat: ideoq. ei potiſſimum curam huiuſce operis diligentiſſime commiſit: eundemq. ſi quando in re commiſſa langueſcentem animaduertit, tunc et cohortationibus, et præmiorum pollicitatione, et ſæpiſſime auctoritate excitare non deſtitit, vt cuius rei deſiderio pro Chriſti Domini gloria, proq. pietatis ſtudio intime flagrabat, ea ad

ſummum

ſummum perduceretur, quàm celerrime, accuratiſſimeq. poſſet. Itaque primum quæ ad obeliſcum, vt fractionis periculo omni ex parte cautum eſſet, vel è ſede priori funditus conuellendum, vel in terram leuiter deijciendum, vel in forum inde ad Apoſtolorum limina euehendum, vel in ſublime ſenſim erigendum, ſuſpendendumq. neceſſaria fuerunt, apparata ſunt omnia diligenter, vt euentus demonſtrauit. Situs, vnde peuulſus eſt, prope attigit ſacrarium baſilicæ ſancti Petri, quod ad meridiem vergit: forum, quò aſportabatur ad limina Apoſtolorum, in orientem verſus ſpectat, diſtans à ſitu pedes Rom. mille. Hìc quæ operæ adhibitæ ſint, quæ ergatæ, operoſe confectæ, quæ ſuculæ, quæ aliæ machinæ tractoriæ, quæ machinarũ ratio, aut ordo, quæ tigna, quæ trabes, quæ contignationes, quæ aſſerum coaſſationes, quæ aliarum rerum, huic vſui neceſſariarum, coagmentationes, quæ fibulæ, quæ trochleæ ductiles, quæ fiſtucationes, qui rudentes, qui antarij funes, quæ denique alia inſtrumentorum ſupellex, aut quod in ſingulis rebus artificium, non eſt, cur enucleate ſcribam, cum omnia certis litteris, numeriſq. ſigillatim notata, ob oculos tabulæ ponant, quæ iampridem inciſæ, et typis editæ, in vulgus ſpectantur. Re igitur tandem, Deo in primis iuuante, proſpere recteq. confecta, ſexto kalendas Octobris, qui dies quinta feria fuit, Pontifex certior factus, non ea ipſa feria, ſed poſtridie feria ſexta, nempe die Chriſti Domini paſſioni ſacro, obeliſcum, quem ſacro vſui deſtinauerat, antea tot ætatum ſeculis, ſuperſtitionum ethnicarum impuritate contaminatum, ex eccleſiæ inſtituto exorciſ-

exorciſmis, precibusq. ſacris expiarì, et crucem, quam tanto operi præfigendam impenſe parauerat, ad præſcriptum libri pontificalis rite benedici voluit. Quem ritus omnis ordinem, certis rubricis exſcriptum, non alienum viſum eſt, vt mox infra, edere, quò explicatior ſit ſolemnis illa actio, et omni perpetuo monimento digniſſima, poſteris documentum det atque exemplum pietatis, et religionis. Dum hæc agebantur, omnes, quicumque aderant, quorum maxima multitudo forum complebat, præter eos qui è feneſtris, tectisq. ſpectabant, intime ſummopere rei ſummæ perfectione lætati, etiam tacitæ orationis officio, omnia fauſta, proſpera, felicia à Deo precabantur Sixto Quinto Pontifici: a quo vrbs tantum pietatis ornamentum, diu expetitum, his tandem temporibus eſſet conſecuta. Magna quidem illuſtrium rerum acceſſio, multis abhinc annis Romæ facta eſt: ſed certe multis partibus, cetera ornamenta ſuperat hoc obeliſci opus, ſanctiſſimæ crucis triumpho clariſſimum, maximeq. omnium ad vrbis gloriam inſigne. Hoc profecto quidem almæ Romæ decus eſt, hoc lumen, quo illa iam nunc ſplendeſcit maxime, beneficio ſingulari tanti Pontificis: à quo cum longe etiam plura expectari poſſint, omnium pietatis eſt, Chriſtum optimum, maximum, ſine intermiſſione orare, precari, obteſtari per vulnera, per conuitia, per dolores, per ſanguinem, tanta largitate in cruce profuſum, vt eum eccleſiæ, cui ſumma cum laude præeſt, incolumem conſeruet diutiſſime, gratiæ ſuæ munere augeat, et ſplendore ſui luminis in dies magis illuſtret. In cruce autem cum tanta, tamq. ſalutaris di-

ſciplina, ac vis inſit: quicumque diuinæ gratiæ muneribus inſtrui, atque ornari percupiunt, quiq. ſalutis appetentes eſſe volunt, omnes autem velle debent, ad ſtudium ſe ſe crucis ardentiſſimis animis conferant, Chriſtiq. Domini, cruci affixi, numen implorent, à quo, quæ ſalutariter expetunt, poſtulent, atque expectent: vt, ſic tandem ad cœleſtes illas ſedes aſcendant, diuinaq. luce æuo ſempiterno perfruantur.

ORDO

ORDO EXORCIZANDI, DEDICANDIVE OBELISCI
Et benedicendæ Crucis in eo erectæ
À SIXTO QVINTO PONT. MAX.
Quinto kal. Octob. Ann. M. D. XXCVI.

MANE, hora competenti, in altari crucifixi ſolemniter ab epiſcopo celebratur Miſſa votiua de cruce, cum *Gloria in excelſis*, et *Credo*, et poſt commem. SS. Martyrum Cypriani, et Iuſtinæ, tertia oratio dicitur pro Papa.

Poſt miſſam, celebrans induit pluuiale rubri coloris, et præcedente vexillo Capituli S. Petri cum cruce et alijs de more, fit ordine proceſſio cleri per plateam vſque ad locum obeliſci à parte anteriori, quæ eccleſiam ſpectat. Quo locó præparatur altare, cruxq. in eo, quæ benedicenda eſt, & abacus cum aqua benedicta, aſperſorio ex hyſſopo, alijsq. neceſſarijs. Proceſſio.

In proceſſione canuntur pſalmi ſequentes cum Antiphona: quam ante altare Crucifixi celebrans inchoat, et cantores proſequuntur. Aña.

O Crucis victoria, et admirabile ſignum ſuper omnia ligna cedrorum: tu ſola excelſior, in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphauit, et mors mortem ſuperauit in æternum.

Pſal. 2. Quare fremuerunt gentes.

Pſal. 3. Domine, quid multiplicati.

Pſal. 95. Cantate Domino canticum. j.

Pſal. 96. Dominus regnauit.

Pſal. 97. Cantate Domino. ij.

Benedictio Crucis.

Cum Clerus ad locum obeliſci peruenerit, ante altare ibi poſitum Antiphona repetitur. Deinde fit benedictio Crucis, vt eſt in Pontificali. Qua peracta, epiſcopus, et clerus ordine crucem oſculatur ad præſcriptum pontificalis.

Exorcizatio, et benedictio obeliſci.

Abſoluta crucis benedictione, Epiſcopus obeliſcum exorcizat, benedicit, et aſpergit, vt infra.

Primo incipit ſequentem Antiphonam, quam cum pſalmo cantores proſequuntur. Aña.

Signum ſalutis pone, Domine Ieſu Chriſte, in obeliſco iſto: et ab eo diſſipa inimicos tuos, omneſq. nequitias ſpirituales.

Pſal.67. Exurgat Deus, et diſſipentur inimici.

Finito pſalmo, et Antiphona, Epiſcopus ſurgit, et ſtans cum mitra ad obeliſcum verſus, extenſa manu, dicit abſolute.

Exorcizo te, creatura lapidis, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, et in nomine Ieſu ✠ Chriſti, filij eius, Domini noſtri, et in virtute Spiritus ✠ ſancti: vt fias lapis exorcizatus ad ſuſtinendam ſacram Crucem, careasq. omni gentilitatis immunditia, omniq. impugnatione ſpiritualis nequitiæ: Per virtutem Domini noſtri, Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos et mortuos, et ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde, depoſita mitra dicit.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum,

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, filij Dei viui, qui es lapis angularis, de monte ſine manibus exciſus, hunc obeliſci lapidem, in honorem ſanctæ Crucis tuæ erectum et collocatum, ab omni inquinamento purifica, purificatumq. conſerua: Qui cum patre, et ſpiritu ſancto, viuis, et regnas Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Tunc Epiſcopus, accepto aſperſorio hyſſopi ex manu diaconi, eodem comitante et fimbriam pluuialis eleuante, atque Acolutho cum vaſe aquæ benedictæ ſequente, circuit ter obeliſcum, incipiens primo et ſecundo à dextera ſua, tertio à ſiniſtra, aſpergendo primùm partem ſuperiorem, deinde inferiorem, tertio mediam.

Deinde accepto cultro, per ſingulas partes, ſculpit in eo ſignum crucis, dicens

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lij, et Spiritus ✠ ſancti.

Quo facto, dicit. Oremus.

SIngulare illud propitiatorum, Domine, altari crucis pro nobis redimendis oblatum, in cuius præfiguratione Patriarcha Iacob lapidem erexit in titulum, ſupplices tibi preces effundimus: vt lapidis huius expolitam materiam, paganorum vſui olim dicatam, et tua benedictione, ac noſtra exorcizatione purgatam, ipſe tuæ dotari ſanctificationis vbertate præcipias, qui quondam lapideis legem ſcripſiſti in tabulis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Crucis

Tum crux ab epiſcopo conſignatur Diacono, qui, adiuuantibus illum alijs clericis, ſuſtollit eam, et dum fertur in ſublime, cantatur hymnus, *Vexilla regis prodeunt*, vſque ad verſum, *O crux aue ſpes vnica*: et cum ipſa crux collocata fuerit in ſummitate obeliſci, Diacono eam, ab artificibus ſuſtentatam, tenente, omnibus inferius genua flectentibus, tunc à cantoribus cantatur: *O crux, aue ſpes vnica, In hoc ſalutis tempore*. Et expletur totus hymnus, quo expleto dicuntur verſus et orationes, vt infra.

℣. Hoc ſignum crucis erit in cœlo.

℟. Cum Dominus ad iudicandum venerit.

℣. Dicite in nationibus.

℟. Quia Dominus regnauit à ligno.

℣. Venient ad te, qui detrahebant tibi.

℟. Et adorabunt veſtigia pedum tuorum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DEus, qui vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, et ſanctorum Apoſtolorum eius Petri et Pauli pedibus, ciuitatem hanc ſublimem, Romanumq. imperium crucis potentia ſubiugaſti, concede propitius: vt ab hoſtium impugnatione defendas, quos per eiuſdem ſanctæ crucis vexillum armis iuſtitiæ triumphare iuſſiſti.

ADeſto nobis Domine Deus noſter, et quos ſanctæ crucis lætari facis honore, eius quoque perpetuis defende ſubſidijs.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, et omnium iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum: vt gentes paganorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde thurificatur per Epiſcopum Crux in obeliſco, et pronunciantur per Diaconum indulgentiæ xv. ann. Poſtea per eundem epiſcopum intonatur hym. *Te Deum laudamus*: et redeundo proceſſionaliter ad eccleſiam totus a cantoribus cantatur. Quo expleto, ante ſanctiſſimum ſacramentum dicuntur infra ſcriptæ orationes, cum ſuo verſu, qui dicitur à duobus cantoribus, alijs reſpondentibus. Oratio.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, deduc nos ad ſocietatem cœleſtium gaudiorum: vt eò perueniat humilitas gregis, quo præceſſit celſitudo paſtoris.

DEus, omnium fidelium paſtor et rector, famulum tuum Sixtum, quem paſtorem eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice: da ei quæſumus verbo et exemplo, quibus præeſt, proficere, vt ad vitam vnà cum grege ſibi credito perueniat ſempiternam.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte: vt deſtructis aduerſitatibus et erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Demum duo cantores dicunt

℣. *Exaudiat nos Dominus.* Chorus reſpondet, *Et cuſtodiat nos ſemper.* Et data per Epiſcopum ſolemni benedictione, omnes diſcedunt.

ROMAE Apud Iacobum Ruffinellum. 1586.

Non posseduto da Olschki, Choix.

4 opere in 1 volume
sull' Obelisco Vaticano.
Rarissimo.

[illegible]

Special 91-B
A 4313 c.1
20.65
12 Bound with
27 91-B32507
88-B4701 c.1
583 91-B32719
1

THE GETTY CENTER
LIBRARY